

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 80. (*Neovidensis* 1806. Nro. 73.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
ita functorum.

Elyslum -- Meum. -- Die Martis 23. Septemb. 1806 (Neov. 10. Sept.)

Imperium iis artibus retinetur, quibus initio
partum est.

Sallust. in praef. B. Cat.

Colloquentes Umbrae.

Josephus II. et Fridericus Carolus Moser Aulicus
Consiliarius Imper. Germ.

Josephus II. Admiratio me capit, quid
sit, quod muneri consiliani aulici nuntium
remittas. Hic summo semper tenebar desi-
derio rescindi ex te negotia Imperii Germa-
nici.

Moser. Vestra Majestas clementer indul-
gebit, ut declarem, me jam, etiam in his
campis Elysiis, omni magistratu abdicasse.

Josephus. Quid ita? directe Moser!

Moser. Est aliquid, quod nec dicere au-
sim, nec lubet.

Josephus. Assumpsisti forte, in his sedi-
bus, munus apud Landgravium Hassiae?

Moser. Vestrae Majestati, non dubito, notum erit, omnes Landgravios, et Marchiones in optima forma abolitos esse.

Josephus. Fortasse facis Ducibus Vürtembergicis relationem de negotiis Imperii?

Moser. Superi! nullum numerat amplius Vürtembergæ Ducem?

Josephus. Forsitan te servitio Hasso-Casuelano addixisti? ubi nunc Electoratus institutus est.

Moser. Minime gentium; Nihil est hic, ut ita dicam, quod posset eligi.

Josephus. Jam animadverto, vis societatem inire cum urbibus Imperialibus, in quibus vitam privatam libentissime agebas?

Moser. Cum urbibus Imperialibus? Quocumque aspicias, nil est nisi pontus; et aether.

Josephus. O virum singularem! Fortetibi prae caeteris placet Electoratus Bavariae? forte — — —

Moser. Regia officia mihi non sunt oblata.

Josephus. Portento similia narras, ut nesciam, quo loco mihi habendus sis.

Moser. Nulla mysteria amplius; ego mihi plene conscius sum; sed, pro h dolor! tempora mutata sunt.

Josephus. Quorsum tendis, isthaec proferendo?

Moser. Post tristes ad Ulmam eventus die 8. Novembris anni praeteriti Elector Archi-Cancellarius sequentia curavit in Comitibus Imperii declaranda: — Vires Europae Australis, septentrionalis, Orientalis, et Occi-

dentalis hoc momento conglomerantur in Germania. Talis conflictus enatus est, cujus vestigia vix reperiuntur in annalibus mundi. Quilibet probus Germanus optat, et sperat, ut etiam in hac proce la Constitutio Imperii Germanici, sarta, tectaue conservetur; negri tamen nequit, in multorum animis oriri sollicitudinis plenas quaestiones: In quem statum deducunt patriam nostram hae rerum conversiones? ergone aedificium constitutionis, quod pluribus, quam mille annis firmum stetit corruet? publica securitas, ordo judiciorum, Bulla aurea, Electorum capitulationes, decreta Comitiorum evertentur, quae inde a saeculis opera sapientiae erant Patrum nostrorum, quorum patrocínio germanica natio in diversis occasionibus se magnifice distinxit? ergone nomen Germaniae, nomen germanicae nationis, nomen populi antiquissimi, qui quondam ipsum Romanum colossum prostravit, extingvetur; qui fidelitate, fortitudine, labore, utilibusque inventis optime meritus est de genere humano? — Non levem incutit dolorem haec cogitatio patriam amantibus.

Josephus. Profecto erant anxiae cogitationes.

Moser. Pace Vestrae Majestatis dixerim: — erant prophetae expressiones.

Josephus. Cognitum utique habes proverbium: *Nemo propheta in patria?*

Moser, At eventus praedictionem comprobavit. Calendae Augusti hujus anni sequipedalibus litteris scribentur in historia

Germanici Imperii. Vetustissimum Imperium non existit amplius! Maxime annosa moles germanicae Constitutionis, in qua struenda operae saeculorum impensae sunt, quae saepe in quibusdam partibus reficiebatur, fulciebatur, et conservabatur, jam prostrata jacet. Periit sanctitas Romani Imperii! Hic potest Vestra Majestas legere acta celebris illius eventus. Si ibi superius adhuc degeret, jam non appellaretur Romanorum Imperator.

Josephus. — (Postquam acta evolvit) Itaque Germania nusquam jam Gentium est!

Moser. Ipsa Europa non est amplius id, quod ante paucos annos fuit. Italia, Hollandia, pulcherrima Germaniae pars, et ipsa etiam Gallia novam induit faciem. Germanici Imperii coronam non interrupta serie gestarunt Austriaci Principes per 302 annos, praeterea adhuc 62 annis, in summa 364 annis. Intra hoc tempus regnarunt undeviginti Imperatores. Verum Germania ipsa suum interitum acceleravit, seque repetitis caedibus, bellis intestinis, et aemulatione interemit. Sola se tantum poterat pristinae asserere libertati. Quod vero res gestas populorum, ipsosque populos sustentat, est ingenium nonnullorum singularium, magna molientium virorum. Germania talem Heroem nacta fuisset Carolum V. Imperatorem, sed conatibus ejus obnitebantur plerique, quisque privato tantum commodo studebat; erga publicum autem, quod nationem fortem facit, ac potentem, nemo ferebatur. Interim extat ad

huc insigne germanicæ culturæ monumentum, a Gellertiis, Hagedorniis, Herderis, Schilleris &c. editum, videlicet — idioma germanicum.

Josephus. (Cogitationibus Immersus tacet.)

Moser. Ut animum Vestræ Majestatis a molestis curis avocem, prælegam nonnullos articulos ex publicis ephemeridibus.

Londino 27. Augusti.

Heri habitum est Status Consilium, cui multi intererant. Dicitur parata ad excurrendum expeditio, quæ ob adversum ventum Plimutho discedere non potuit, accepisse mandata ad domi manendum.

Nostra Halifaxensis classis partim capta est, partim deleta. Relatio hæc facta est ex navi *Champion* 24 tormentorum, quæ dictæ classi præsidio erat, & heri rediit. *Champion* vela solvit Halifaxio cum 20 circiter navigiis, quæ die 16. hujus in 47. gradu longitudinis gallica navis primæ magnitudinis *Regulus* 80 tormentorum aggressa est, & fere omnia occupavit, ex illis tamen 12 combussit, quod reliquas naves sequi non valuerint.

Haga Comitum 2. Septembris.

Nostræ ephemerides, prætermisiss aliis novitatibus, plenæ sunt descriptione solennitatis, quæ die S. Ludovico sacra celebrata est. Texelia omnibus palmam præripuit, omnes naves accensis lampadibus coruscabant. Hac occasione Minister maritimus, & Admiralis Devinter delegerunt 70 Officiales & nautis, qui ob diuturna, & fidelia

servitia transferentur ad erigendam maritimam Granatariorum cohortem; constabit illa ex tribus turmis, et totidem legionibus.

Quaelibet turma habebit unum tribunum, unum Praefectum navis, unum subpraefectum, duos vicarios, duos tirones, unum Chirurghum, 18. inferioris ordinis officiales, 15. Musicos et tympanotribas, et 96. milites, e quibus 20. adhibebuntur ad tormenta, et 4. ad labores. Cuilibet autem legioni praeficietur subpraefectus navis, duo vicarii, duo tirones, 1. Chirurgus, 12 inferioris generis Officiales, 14. Musici, & tympanotribae, & 50 milites, quorum 16 erunt tormentarii, & 4 operarii. Familiae hujus corporis speciali fruuntur Suae Majestatis gratia, proles educabuntur in publicis Institutis impensis Regis; tam Praefectorum, quam gregariorum salaria augebuntur.

Fama fert Reginam discessisse Parisios. Adventus Regis in diem 8. hujus indicus est; at si tempus diutius faverit, probabilius Sua Majestas tam cito non aderit.

Civilia munera gerentes pro certo affirmantur propediem certa, distincta veste usuri.

Tribuni Düroc, et Caulicourt creati sunt generales excubiarum magistri.

Londonenses rerum novarum commentarii de 27. Augusti propugnant in tractatu pacis deliberari de sequentibus punctis: 1) ut Sicilia Regi Josepho cedatur. 2) ut Rex Ferdinandus obtineat 7. insulas. 3) ut An-

glia retineat Melitam. 4) ut promontorium bonæ spei aut restituatur, aut in liberum portum convertatur. 5) ut Anglia omnes hoc bello factas occupationes reddat. 6) ut merces Anglicæ, uti ante bellum inferantur in Galliam, Italiam, & Hollandiam. 7) ut in Polonia Rex fiat Magnus Dux Constantinus. 8. ut Russiæ integrum sit erigere septemtrionale foedus.

Parisii 1. Septembris.

Nudius tertius, sole occidente terribilis saevit hic turbo, dejecit caminos, antiquos muros, ramos arborum, aediculas excubitorias &c omnesque hortos circa Parisios arboribus consitos fructibus privavit.

Litteræ Neapoli allatæ testantur expeditionem contra Siciliam paulo post suscipiendam.

Nocte diem 26. Aug. præcedente Anglicus cursor Shav ad nos appulit. Verisimile est, ut proxime cursor Basilico cum Secretario Lordii Lauderdale Londinum mittatur. Hinc patet, ait quidam novorum scriptor gallicus, continuari tractatus, licet tam diversi fuerint per Europam sparsi rumores.

PUBLICANTUM.

Cum Dominus Georgius Várady, linguæ patriæ in Regio Archi - Gymnasio Budensi Professor clementer denominatus, hujusque benignæ Resolutionis publicatio medio Exc. Consilii L. R. Intimati de dato 12. Aug. a. l. Nro 15476. dimissi facta sit; enata in prædicto Archi - Gymnasio linguæ, & litera-

turæ hungariæ Cathedræ vacantia eo addito publicatur: ut ii, qui pro eadem Cathedra recurrere voluerint, ad exhibendos Domino superiori Regio studiorum Directori Pconiensis usque 25. Octobris a. l. Libellos Supplices fidedignis testimoniis super eorundem habilitate, moralique Characterem instructos invientur.

NUNCIUM. **

A Magistratu Caesareo - Regiæ, et Residentialis Civitatis Viennens. nomine Lanionum Contubernii, omnibus iis, qui a 1. Nov. a. c. inchoando pro affuturo 1807. vel etiam pluribus subsequis annis emacillanda pecora cornuta seu intra ambitum hæreditariarum provinciarum, seu extra illum progenerata in usus memoratæ residentialis Civitatis usque lineas ejusdem, vel usque limites Austriæ administrare vellent, præsentibus notum redditur: ut semet seu in persona, seu medio plenipotentiariorum suorum, aut etiam Scriptotenus germanico tamen idiomate, ad summum usque finem Octobris anni currentis insinuare noverint.

Liberum relinquitur insuper omnibus, et singulis, conditiones etiam pro una duabus, tribus, aut pluribus hebdomadis a 1. Novem. anni currentis inire, atque administrationes 800 aut 1000. frustorum hebdomadatim facere. Caeterum de eo quoque securi redduntur contrahere volentes, quod pro accuratis, et contractualibus exolutionibus administratorum pecorum Magistratus fide jussionem in se recipiat.